



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

5. Si Marathon.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

4. SED VICTVS CESSIT. TITVLO VICTORIA DONAT MOENIA. Annal. Fuldenf. *Saxones in SINITFELT congregati à Carolo subacti sunt, & tertius ex eis homo translatus.* In Annali. incerti aucto. apud Pithæum eadem iisdem penè verbis referuntur. Ab hac victoria oppidum *Winnenberg* in agro *Sentfelt*, edito loco situm, nomen accepisse creditur, sicut *Wintfelt*, id est, campus victoriae à clade Variana. Lipsius in notis ad lib. 1. Annal. Taciti.

5. SI MARATHON. Campi Marathonis, qui abest Athenis circiter millia passuum decem, ingenti Persarum clade nobilis, meminit Cornelius Nepos in Miltiade. Eundem magnarum & multarum virtutum testem nominat Pomponius Mela lib. 2. vid. Herodotum lib. 6. Pausaniam lib. 1. Justinum lib. 2. Agellium lib. 7. cap. 21.

6. PERSIS NOMEN FATALE PEREMPTIS. *Pugna Marathonia nihil nobilius, nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.* Cornelius Nepos l. c. *Ducenta enim millia Persæ eo praelio, siue naufragio amisere.* Justin. l. 2. cap. 9. Orosius. Ex Atheniensibus contra centum & nonaginta tantum milites desideratos refert Herodotus.

7. MILTIADÆ IACTAT CLARA TROPÆA DVCIS. *Miltiadi, qui Athenas totamque Græciam liberavit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pæcile vocatur, quàm pugna depingeretur Marathonia; ut in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret.* Cornelius Nepos l. c. Alterum Miltiadis præmium sunt, tropæa ex hostium manubijs, quibus se à somno quotidie excitari jactabat Themistodes. Cicero. 4. Tuscul. quæst. & Plutarchus. Porro de Græcorum tropæa figendi